2

Índice

✠

CLEMENS PAPA XII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Iuſtis, & honeſtis petentium votis libenter annuimus, eoſque favoribus, & gratijs proſequimur opportunis. Aliàs Nobis pro parte Venerabilis Fratris moderni Epiſcopi Pampilonenſis, ac Dilectorum filiorum modernorum Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Pampilonenſis, ac Rectorum Parrochialium Eccleſiarum, aliorumque de Clero Sæculari Civitatis, & Diœceſis Pampilonenſis, necnon Venerabilis etiam Fratris moderni Epiſcopi Barbaſtrenſis, ac Dilectorum etiam filiorum modernorum Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Barbaſtrenſis expoſito, quod aliàs Epiſcopi, & Capitula, alijque exponentes præfati ad reparandum damnum, quod in Decimis pati cogebantur ob exemptionem, quam ab illis pretendebant Collegia Societatis Ieſu, necnon Sancti Benedicti, & Ciſtercienſis reſpectivè Ordinum, aliique Regulares, dictorumque, & aliorum Ordinum Moniales, ſupplicaverant felicis recordationis Innocentio Papę Decimotertio Prædeceſſori Noſtro pro moderatione, ſeu reductione Privilegiorum ad terminos iuris, eidemque Innocentio Prædeceſſori ſub die nona menſis Auguſti anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi tertii placuerat, preces remittere ad Congregationem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Decretorum Concilij Tridentini Interpretum pro voto, auditis intereſſe

tereſſe habentibus. Cumque ſubinde in vim Litterarum eiuſdem Cōgregationis à Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuntio in Regnis Hiſpaniarun tunc commorante, vocatis,& citatis omnibus Regularibus intereſſe habentibus, compilatus fuiſſet Proceſſus, & ad dictam Congregationem tranſmiſſus eius reſtrictus, hinc inde ſubſcriptus, & approbatus, ex eoque pro parte Epiſcoporum, & Capitulorum, aliorumque exponentium præfatorum probari contenderetur, quod Collegia Societatis Ieſu Civitatis Pampilonenſis, Sancti Sebaſtiani, & Loyolæ, ac Sancti Benedicti, & Ciſtercienſis reſpective Ordinis præfati, aliique Regulares huiuſmodi in eodem Proceſſu relati, bonorum, & reddituum copia abundabant, quodque quoad dicta Collegia Sancti Sebaſtiani, & Loyolæ ante illorum fundationem inita erat concordia circa acquiſitionem bonorum decimabilium, & ſolutionem Decimarum, & demum ob acquiſitionem bonorum decimabilium factam, tam à dictis Collegijs, quam à cæteris Regularibus, evenerat depauperatio Menſarum Epiſcopaliū, & Capitulorum Eccleſiarum Pampilonenſis, & Barbaſtrenſis, & Parrochialium Eccleſiarum, cæterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum Civitatis, & Diœceſis huiuſmodi; è contra vero ex parte præfatorum Collegiorum, ac Regularium impugnaretur tam ex adverſo allegata bonorum, & reddituum copia, quàm prætenſa Decimarum ſolutio vigore ſuorum Privilegiorum prout ex Sctipturis ab utraque parte diſtributis. Quam ob rem propoſita cauſa in eadem Congregatione ſub die quinta Menſis Junij anni eiuſdē Domini milleſimi ſeptingenteſimi vigeſime octavi, nulla capta fuerat reſolutio, ſed reſcriptum prodierat: Ad Eminentiſimum Præfectum, & Eminentiſsimum Belluga pro concordia. Quæ cum inter partes concludi nequiviſſet, hinc inſtante etiam Chariſsimo in Chriſto filio Noſtro Hiſpaniarum Rege Catholico ratione ſuorum Iurium favore Status Eccleſiaſtici Sæcularis, ijſdem partibus monitis, denuo repropoſita fuit cauſa in eadem

Con-

Congregatione sub infrascripto dubio -- An esset locus reductioni Privilegiorum ad tramites Juris in casu &c? A qua emanaverat infrascriptum Decretum, videlicet - Die vigesima prima Mensis Augusti millesimi septingentesimi vigesimi octavi Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, vtraque parte informante, ac Iuribus hinc inde deductis maturè perpensis, *respondit affirmativè iuxta modum; modus autem est, quod Regulares non habentes in Privilegijs expressam derogationem Capituli Nuper, &c. teneantur solvere integras Decimas, exceptis bonis, & rebus præscriptis in Capitulo Ex parte &c. Decimo de Decimis. Quo verò ad Regulares habentes expressam derogationem dicti Capituli Nuper &c. pro omnibus bonis de præsenti possessis teneantur ad solutionem vnius pro vigintiquinque; pro bonis verò acquirendis in futurum quocumque titulo, teneantur ad integram Decimam, salvis tamen compositionibus, & transactionibus*, & exceptis in omnibus Patribus Dominicanis -- Adversus quam resolutionem nulla ex partibus vsque tunc reclamaverat; quapropter pro parte eorumdem Episcoporum, & Capitulorum, aliorumque exponentium præfactorum novus Novis exhibitus fuerat supplex Libellus pro dictæ resolutionis approbatione, vt Litteræ Apostolicæ in forma Brevis desuper expediri possent; & Nos supplicem hunc Libellum remiseramus Præfecto dictæ Congregationis Concilij, vt de hac re Nobiscum alloqueretur. Quare facta per dictum Præfectum Nobis relatione sub die decimanona Mensis Januarij anni eiusdem Domini millesimi septingentesimi trigesimi primi, Nos prefatam dictę Congregationis sententiam approbavimus, & confirmavimus, præterquam quoad exceptionem Patrum Dominicanorum, quam in suspenso relinqui mandavimus, prout in Litteris Apostolicis in forma Brevis sub Annulo Piscatoris die septima Mensis Maij eiusdem anni Domni millesimi septingentesimi trigesimi primi desuper expeditis

ple-

plenius contineri dicitur. Nuper verò cum Constitutio felicis recordationis Benedicti Papæ Decimi tertij, Prædecessoris Nostri, quæ incipit -- Pretiosus &c. in qua diversa privilegia dictis Patribus Dominicanis concedebantur, vnà cum eius declarationibus à Nobis per Nostras Litteras editas tertio Kalendas Aprilis currentis anni revocata, & abrogata fuerit, proptereaque Patres Dominicani præfati dictis privilegijs amplius tueri non possint, exponentes præfati novum supplicem Libellum Nobis porrexerunt, in quo petebant dictos Patres Dominicanos conprehendi in præfato Decreto à dicta Congregatione Concilij emanato, ita vt isti sicuti cæteri Regulares præfati ad solutionem Decimarum omnino tenerentur, & obligati existerent, quem suplicem Libellum cum Nos eidem Congregationi remiserimus, ab eadem Congregatione sub die vigesima sexta currentis Mensis Aprilis emanavit sequens decretum, videlicet -- Sacra Congregetio Eminentissimorum Sanctæ Romanę Eccelesię Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, *Patres Dominicanos esse comprehendendos sub præcedenti resolutione eiusdem Sacræ Congregationis diei vigesimæ primæ Augusti millesimi septingentesimi vigesimi octavi, sublata eorum exceptione.* Nos igitur eosdem exponentes amplioris gratię favore prosequi volentes, necnon eorum singulares Personas à quibusvis Excomunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad efectum prę̄sentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutos forè censentes, porrectis Nobis pro eorumdem exponentium parte super hoc supplicationibus inclinati, tam primum, quàm secundum dicta Decreta dictę Congregationis ad effectum, vt dicti Patres Dominicani, sicuti cęteri Regulares pręfati ad solutionem dictarum Decimarum omnino teneantur, & obligati exi-

tant, Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolice firmitatis robor adijcimus, omnesque, & singulos tam Juris, quàm facti, alio sque etiam quamtumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus, præsentes quoque Litteras semper, & perpectuò firmas, validas, & efficaces existere, easque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari in ius, vel controversiam revocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversus illas, quodcumque gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari nullatenus posse, minusque eas sub quibusvis similium, vel disimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum expresionibus, & formis pro tempore factis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinũ. & validisimũ, & eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per exponentes præfatos, quandocumque eligenda, concessas esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia plenisimè suffragari, & ab illis inviolabiliter perpetuò observari, & adimpleri debere, sicque, & non alias per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos, quavis autoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios iudicari, & difiniri debere, irritum quoque, & innane decernimus, si secus super his à quoquam, quavis authoritas

te scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Quo circa Dilecto filio Nostro, & Sedis Apostolicę Nuncio in Regnis Hispaniarum, pro tempore commoranti, ac Venerabili Fratri Archiepiscopo Cæsaraugustano, necnon Dilecto etiam filio Priori, pro tempore existenti Prioratus de Roncesvalles nuncupato, per presentes commitimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorumperse, vel aliũ, seu alios pręsentes litteras, & in eas contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, & toties quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate Nostra, easdem præsentes Litteras, & in eis contẽta huiusmodi ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari, omnesque, & singulos, quos ipsæ præsentes Litteræ concernunt, præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permitentes illos desuper à quoquam, quavis authorithate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras, & pænas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia; appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis Processibus, Censuras, & pænas ipsas, servata forma Concilij Tridentini præfati, etiam iteratis vicibus aggravando, & reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij Sæcularis, non obstantibus Felicis recordationis Bonifacij Papa Octavi Prædecessoris Nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus Dietis, dummodo vltra tres Dietas aliquis vigore præsentium ad judicium non trahatur, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & præsertim de iure quæsito non tollendo, dictorumque Ordinum, & Societatis Jesu prædictæ, etiam iuramento, confirmatione Aposto-

lica

lica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis dictis Ordinibus, & Societati Jeſu præfatæ, eorumque ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cumquibuſvis clauſulis, & Decretis, etiam irritantibus, & inſolitis, etiam efficacioribus, ac derogatoriarum derogatorijs in genere, vel in ſpecie etiam Motuproprio, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, etiam Conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis, illis præſertim, quibus caveri dicitur expreſsè, quod eorum diſpoſitionibus numquam ſufficienter derogatum cenſeatur, niſi prius derogatio ipſa in plena Signatura Noſtra, propoſita ſupplicatione cum huiuſmodi Conſtitutionum inſertione, derogatio ipſa conceſſa fuerit, ſeu aliàs incontrarium præmiſſorum quomodolibet diſponentibus, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, latiſsimè, & pleniſsimè, ac ſpecialiter, & expreſsè hac vice duntaxat, derogamus, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, & dicta Apoſtolica authoritatę decernimus, quod preſentium Litterarum tranſumptis, etiam impræſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sygillo alicuius Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ ipſis præſentibus Litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die trigeſima Aprilis milleſimi

mi

mi septingentesimi trigesimi secundi, Pontificatus Nostri Anno secundo. A: Cardinalis Prodatarius. Pro. R. P. D. Magistro Brevium T. Bitozzius Substitutus. T. M. Subdatarius. C. Bruner. Loco ✠ Sigilli. super impositum: re:

Ego infrascriptus Notarius Apostolicus, & Secretarius Illmi. Capituli Almæ Pampilonensis Ecclesiæ fidem facio concordare præsens trasumptum cum Bulla originali sub annullo Piscatoris expedita, & mihi exhibita, ideoque Sigillum dictæ Sanctæ Ecclesiæ præsentibus apposui, & signo meo signavi. Pampilonæ Kal. Junij anni millesimi septingentesimi trigesimi secundi.